

qui ignoret? Nam quod quidam scire possunt, nulla ratio est, quare non omnes scire possint. Sin eam ignorantiam vinci non posse vis, quae cum adiunctione quadam et conditione necessaria est, quaeque propter ipsas conditiones illas, v. c. institutionem, educationem, aliasque tales, fieri non potest, vt tollatur: quae ignorantia tandem erit, quam non ita excusare instituant homines, vt, eam vinci non potuisse, dicant? Nam, cum quicquid fiat, aliquam qualemcumque necessitatem habeat, neque possit, his, quae sunt, conditionibus, aliter fieri, etiam omnis ignorantia huiusmodi erit. Itaque, quas gentes Sextus Empiricus(\*) memorat, rectum putare, humana sacrificia facere, parentes post sexagesimum annum occidere, latrocinari, cogeretur ignorantia duci, quae vinci depellique nequeat: quod quale sit, nemo non intelligit. Maneat igitur hoc, quod nulla idonea ratione conuelli potest, huius generis ignorantiam in moribus nullam esse. Quo constituto, alterum illud per se soluitur.

(\*) Pyrrhon. hypotypof. L. III. c. 24.

59. Sed si vel maxime concedamus, fieri posse, vt eiusmodi ignorantia et errore peccetur, a quo caueri nullo modo possit: ne tum quidem efficietur, vt ea aetio a poena libera sit. Neque enim actiones lege naturae prohibitae turpes sunt, aut nocent, quia, qui eas suscepit, turpes esse et perniciofas scit, sed quia per se et natura sua turpitudinem et vim pestiferam habent (§. 21). Quae e tecto delabitur tegula, vt hoc utamur, in praetereuntis brachium, non minus id contundit non visa,  
cum